GREGORIUS MAGNUS. LEO MAGNUS
1. Viertel 12. Jh. Seite 92r
Quelle: http://manuscripta.at/?ID=36532
Copyright: Göttweig, Benediktinerstift



dicere potuerunt. Unde recte quoque ipse primus apostolorum magna
scilicet columna ueri tabernaculi loquitur dicens. Habemus
firmiorem propheticum sermonem cui benefacitis intendentes quasi
lucerne lucenti in caligoso loco. In quibus uerbis indicat quis
ad alta surrexerit ex culmine ubi religata persistat in fide. Que
tamen lucerna prophetici sermonis iam quidem intelligentibus lucet
sed adhuc non intelligentibus cooperta allegoriarum obscuritatibus
permanet. Unde etiam per psalmistam de eisdem dictis prophetarum dicitur:
Tenebrosa aqua in nubibus aeris quia uidelicet occulta scien
tia in prophetis, nec inmerito columne argentee. paxilli uero
erei facti sunt quia quod clare iam apostoli predicant. hoc prophete sub
intellectu mystico obscure locuti sunt. Recte ergo per eris me
tallum signati sunt qui clari in suis predicationibus non fuerunt. Sci
uero apostoli quia de redemptoris nostri mysterio lucem predicatio
nis habuerunt. argenteis columnis expressi sunt. Et notandum
quod argentum sonat et lucet. es uero sonat et non lucet quia
predicatores noui testamenti aperte locuti sunt. que etiam monstrare
potuerunt. Predicatores uero testamenti ueteris quia per alle
goriarum unbras de celesti mysterio obscura dicta protu
lerunt. quasi sine luce sonitum dederunt. Quod ergo illic
per paxillos et columnas hoc hic per limen exterius et limen
interius designatur. Sin uero portam scripturam sacram hoc
in loco accipimus. ipsa quoque duo limina habet exterius
et interius quia et in litteram diuiditur et allegoriam. Limen
quippe scripture sacre exterius littera. limen uero eius
interius allegoria. Quia enim per litteram ad allegoriam tendimus
quasi a limine quod est exterius ad hoc quod est interius ueni
mus. Et sunt in ea permulta que ita iuxta litteram mentem edificant
ut per hoc quod exterius dicitur audientis mens interius tra
hatur. Ibi quippe inuenimus predicamenta operis et exem
pla uirtutis ibi iubetur quid agere etiam corporaliter de
bemus. Ibi hoc quod ad operandum precipitur in sanctorum uirorum
ac fortium actione monstratur ut postquam nos apertiora precepta
atque exempla iustorum ad bonam operationem instruunt. tunc